





LIV

N V P T I I S

Ornatiss. virtute & industria Iuuenis

Dn. AVGVSTINI

CRVSII, PATRICII

HALENSIS,

ET

*Pudicissima Virginis MAR-*

*GARETAE.*

CLARISSIMI ET OPTIMI

VIRI, Dn. M. CHRISTOPHORI

CÆSARIS, Scholæ Hal. Sax.

Rectoris, digniss.

Filia.

*Celebratis Non. Feb. ANNO*

M. DC.



*Ex Officina*

PAVLI GRÆBERI.

J

Handwritten scribbles at the bottom of the page.



**F**ATA magis quàm VOTA valent: Nam VO-  
TA ferebant

Sacris tuæ natæ interesset nuptijs,  
Proq; salute eius, tensis ad sidera palmis,  
Connubiorum autotem adorarem, Deum:  
Auocor at FATI S ad celsæ mœniæ Dresdæ,  
Ex iure prompturus clienti caram opem  
Ut tamen officij videat meminisse; precari!  
Tædis tuæ cessabo nunquam Filia,  
Tot sine nube dies, & tot sine frigore noctes,  
Quot astra cœli iam coronant verticem.  
Hoc etiam munus delectis offero SPONSIS:  
Aequi boniq; id consule, & semper vale.

Andreas Sartorius D.

EPIGRAMMA.

**S**pondebam sponsis elegos lepidosq; phalæcos.  
Insatiabilibus basiâ mixta iocis.  
Obfuit optatis inimica calumnia MVSIS,  
Obfuit & nostris versibus ipsa lues.  
Litera venit heri: venisset epistola nobis  
Sat citò: si tantum FLAMMÆA salva fores:  
Si valuisset amor, si Flammea salva fuisset,  
Et tabes animum nî cruciasset heræ:  
Vrosiades mecum consueto more tulissem,  
Innumeros lusus, innumerosq; iocos.  
Venisset mecum NASONIS amabile carmen,  
CYNTHIA venisset mille Cupidinibus.  
DELIA venisset formosa puella TIBVLLI,  
Et sene CORNELIO dulcis amica suo.  
STROZA pater lusu, magnosq; lepore SECVNDVS,  
Cultus uterq; lyra, diues uterq; face.  
Non numerare queo vates, quos possidet arca.  
Impedit & morbus carmina FLAMMINEÆ

No

NON MEMINI VERJUS, MEMINI NEC MUNUS AMICIS.

Ut tamen ipse brevi munere gratus ero.

Ipse feram, vivat seu, seu moriatur amica

FLAMMEA, mi Caesar, credere velle tuum est

Gratulor & nata generosi commoda lecti

Gratulor & genero gaudia mille tuo.

Sit sine lite torus, veniant & pignora, clara

Casarea fiat CRVSIA prole domus.

M. Herman- Plassius præfectus

Conariensis, & Poëta Coronatus.

E C H O.

**D** I C age procumbit cum filia Caesaris

Sancta, Deoq; tori fœdera grata;

Margaris irato legitur maris aequore;

Orta leui; conchis abdita penè,

Lucida confortat thalamos hac pectoris,

Hanc acido fractam, scito, liquore

Costa sit illa tibi, si fors tonet inuida,

Sponse: Deo uerâ tu modò fide

Hac uni sociata tibi det, gaudia

Neu dira, vestro sint in amore,

Illa, pudoris amans, in totâ, prouida,

Vsque recondat, opes, Dædala, suavis,

Antidoton cordi, palmæque in diuine

Pullulet; ut, rajô vertice rosa,

Blanda Charis sufflat: sed gluten amabile,

Bile carens; venerem nutrit. Amabit.

ECH. aris

ECH. rata.

ECH. rore

ECH. benè

ECH. oris,

ECH. fore.

ECH. fida

ECH. fide.

ECH. dia,

ECH. moræ

ECH. vitâ,

ECH. auis.

ECH. vite

ECH. rosa

ECH. bile

ECH. abit.

Præpotenti Iesu Christo honor.

En Crusus jam cum suo

Diu petito suauius

Cum Margari dulcissima

Gaudens init connubia.

Felix, felicior, felicissimus.

**F**elix est genitor simul ac genitrix celebranda

Quæ peperit Gnatam Numitæ dante. piam,

Quæ nunc Augustinum augusto munere Sponsum

Auspice sic Christo, donat honestus Hymen?

Fine

Per tentant animum vota q̄ mille cadunt.  
 Sensibile omne ( doces Sophie venerande Magister )  
 Excellens sensus ledit idemq̄ nocet.  
 Exue tristitiam sensim, cape gaudia sensim,  
 Affectumq̄ regat certus utrumq̄ modus:  
 Quae sis perpeffus, fumantibus Hala salinis  
 Testis, testantur publica scripta virum.  
 At, si carminibus licet addere tristia laetis,  
 Accipe, curas Gnatum mors fera praeriperet,  
 Christophorum rapuit Sophie mors arte Magistrum.  
 Occidit ò quantum lausq̄ decusq̄ patris,  
 Aequasset virtute suum fama q̄ parentem  
 Si concessa ipsi debita vita foret.  
 Laudibus auxisset patriam fama q̄ perenni  
 Notus ad Halenses nomine factus aquas.  
 Optima callebat gemine discrimina linguae  
 Ausonio nouit d'ctus & ore loqui.  
 Quem quoties iuuenem studijs incumbere vidi,  
 Ac legi imparibus carmina facta modis.  
 Talia sum tacito sub pectore verba locutus  
 Christophore ò magnum lumen eris patrie.  
 Felix, praestantes quod amauit laude poetas,  
 Aeterni fructum nominis inde tulit.  
 Addo quod ascendit Parnasi culmina montis,  
 Naesonisq̄, lubens molle secutus iter.  
 Viuus dicebat: mihi mutua foedera tecum,  
 Mi L V C A, mihi dum vita manebit, erunt:  
 Et vatem vates amat atq̄, cicada cicadam,  
 Carminis autores carminis autor amo.  
 Hic utinam viuus, nostraq̄, superstes in urbe  
 Esset, & indigna non tumulatus humo:  
 Fingret is mecum ( ceu fasq̄, piunq̄, ) sorori  
 M A R G A R E T A E Sponsae carmina grata nouae.  
 Felix ille, animam fera mors subduxit, & artus  
 Pars melior caelo est: reddita, corpus humo.  
 Tristia cesso loqui: miscentur tristia laetis:  
 Mille voluptates, gaudia mille canam  
 Quid referam Sponsam, formâ praestante puellam:  
 Cui pietas prima est cura, secunda pudor.  
 Ob patrem matremq̄, piam F E L I C I O R illa est  
 Virginibus, quæis mors sumsit acerba patres:  
 Est patris officium pietatem scribere Gnatae  
 Quae facienda docet: talia dicta refert.

τῆτις γὰρ  
 τῆτις φῖ  
 λθὺ καὶ  
 ἀοιδὸς ἀοι-  
 δῶν.



Jam nunc & patrem & matrem obliscere; jam nunc  
 Ex animo Sponsum, tempus in omne cole.  
 Vnum oculis spectata, unum animo complectere Sponsum:  
 Ille oculis, animo, pendet ab ore tuo.  
 Dicitur hinc virgo, nulli virtute secunda,  
 Hinc nostrâ illa velut sidus in vrbe micat.  
 O mihi post annum si talis virgo veniret,  
 Cum qua  $\sigma\upsilon\mu\tau\omega\alpha\iota\zeta\eta$  nostra thalia queat.  
 Quid Sponsum? multorum FELICISSIMVS ille est,  
 Solus cum Spönsa iubilâ laeta canet.  
 En augusta, AVGVSTINE, hic tibi ducitur vxor,  
 Quae fallet multis tempora longa iocis.  
 Mijarum es cultor; gnarus rectiq; boniq;  
 Sincera Christum tu pietate colis.  
 Est tibi permultum far, est sine labe salinum.  
 Felix cui numen, res bonè & aucta fauent.

### Votum.

Principium felix, medium felicius illo,  
 Coniugij finis sit felici, simus omni  
 Tempore: id ex animo vobis precor optoq; Sponsis

### Distichon.

Delitias inter, totus quas continet orbis  
 Dulcius est thalami, dic, quid amore? nihil.

M. Lucas Peiferus Pegav. Ludimoderator  
 Halensium Nouoforensis.

### A L I V D.

**C**ONIVGIUM NASSAE Criticorum comparat ordo,  
 Pisciculum circa quam salit omne genus:  
 Qui (lepidum visu) per aquas velut agmine factus,  
 Ingressum cupidâ quæ rere mente solent.  
 Ast ubi conclusi fuerint, oculi ocius ictu  
 Incepto mallent abstinuisse ioco.  
 Dumq; exire parant, neq; panditur exitus ulli,  
 Hæc propriè fabros penitet esse necis:  
 Sic aiunt fa. item modò lasciuire iuuentam  
 Cernimus ut socio det sua colla iugo:

*Cui prius assuevit, liberiore fruit.*  
*Sed vetat & IOVAE vox & lex CAESARIS, & (QVAM  
DVXISTI RETINE) Regula firma manet.*  
*Hinc ergo tremere & gemere, hinc persapè ferocis.*  
*More bouis fremere & turbida multa agere:*  
*Hinc illa lacryma, queruliq; per atria planctus;*  
*Hinc mala verba sonant, verbera moxq; tonans.*  
*Prorsus & haud nuga, fateor: sunt, vita iugalis*  
*Quos instar Nasse Decipulive premit.*  
*Illi nempe, DE AE qui Cypridos impete caco*  
*Raptati tantam Rem negligenter agunt*  
*Quis haud Coniugij praestantia Codice sacro*  
*Prodit, sed brutus peiora tangit amor.*  
*Hi post coniungunt impersonalia verba (atq; PVDET  
(Ab) MISERET TAE DET, POENITE T*  
*Verum ALII, praecunte precum feruore, parentumq;*  
*Arbitrio, Thalami qui aggrediuntur opus,*  
*Quiq; DEVM Auctorem Seruatoremq; celebrans*  
*Coniugij, deq; hoc caetera recta tenent,*  
*Hi nolint aliam, si millena optio detur,*  
*In terris vitam diligere hisce sibi.*  
*ET verè, hac vitâ non vita Beatior, vlla est,*  
*Hanc benè terrenum dixeris Elysium.*  
*Si quid fortè (ut sunt mortalia) surgat acerbi,*  
*Deprimit hoc reliqui copia, magna Boni.*  
*Quiq; sapit, ratione potest plerisq; mederi.*  
*Quae γλῦκεσιν socij sunt τινεσά iuxta Tori.*  
*QVAE RITVR hinc igitur, pactus iuuenilibus annis*  
*Sit vester, SPONSI, quò referendus Amor?*  
*Forsan & huic Critici ferula est minitata Magistri,*  
*Ni rectâ pactus lege modoq; foret.*  
*Verum nulla metus causa est; Quin, Prator id omne,*  
*Quod vobis gestum, debet habere ratum.*  
*Non etenim caco flagrat is ab igne, vel ausu*  
*Ad tadas ruitis precipitante sacras.*



Sed pudor in vobis: agitante calefcitis illo:

Sedibus athereis vestra Cupido venit.

Sed PIETAS vobis: suadente requiritis illa

Numinis auxilium consiliumq; patrum.

Atq; ita, PROCESSVS filog; stylog; iugalis

Scrutato, CENSOR nil metuendus iners.

Vos modo duratis a minis & pectore firmo,

Captum opus ad laudem continue DEI.

Continue agendum: Sic vos opulenta coronent

Pramia capta solo, continuanda solo.

Laurentius Ohemius.

A L I V D.

Nunc adsunt M V S A E; Musis dictantibus aude  
Carmina munifico grata sonare Deo.

Tempora mutantur, nos & mutamur in illis;

Fertq; refertq; vices Liber, & Alma Ceres.

Sacra nitent Bacchi, est hoc aptum tempus amori;

Et gaudent iuuenis, nymphaq; nupta, toris.

Vt vires reparant coelestia munera Bacchi,

Corporibusq; leuant languida membra suis:

Sic socij vires coniunx adamata Mariti

Firmat, & illius pectora voce fouet.

Ergo tempus adest; resonant nunc carmine M V S A E:

Ocia M V S A R V M hac praeses Apollo dedit.

Quisquis ades, faveas; petit hoc sibi gaudia tempus.

Omnia coniugio sint operata novo.

En tibi nunc SPONSE, o tibi nunc, tibi ducitur uxor,

Iste tuo ridet clarus honore dies.

Pande fores igitur, venientem suscipe Sponse

SPONSAM; Thespiadum gloriâ pande fores.

En tibi adest, socij quæ fert solatia lecti,

MARGARI S in thalamos nunc venit apta tuos.

M R G A

*MARGARIS* tibi lecta, rubro preciosior auro.  
*MARGARIS* attalicis non redimenda bonis.  
Vivite concordēs ambo, longūmq; valete:  
Vincite Nestoreos prosperitate dies.

Carolus D. C. F. Steinbachius.

A L I V D.

A V G V S T I N V S C R V S I V S.  
M A R G A R E T A C A E S A R I A N A.

ἀναρχαμματικῶς.

IGNIS TVVS, VSVS, CVRA  
AGNA MIRA ET RARA CAESA

**S**ivis discere literas & artes.  
Et doctus fieri Colende Crusi,  
Ut expertus es optimè necesse cēt  
Doctis semper ut incubes libellis,  
Doctos insuper audias & isti  
Sint IGNIS TVVS, VSVS atq; CVRA.  
Si traducere vis laboriosam  
Hanc vitam placidè nec inquietè,  
Iunge morigeram tibi puellam,  
Ut nunc AGNA Cupidinis sagitta  
MIRA & RARA colende sponse, CAESA est  
Perdocti sata Caesaris propago,  
Quae te diligit & tibi iugatur.  
Hanc ex pectore diligas, & ista  
Sit IGNIS TVVS, VSVS atq; CVRA.  
Nam res MIRA satisq; RARA res est,  
Talis sic cadit AGNA CAESA casto  
Ignis, progenies viri periti,  
Rerum gnara satis domesticarum.  
Sic felix videas torum iugalem,  
Cum sponsa, pie sponse, docte Crusi  
Sponsa mollicula sit instar AGNAE.  
Sit IGNIS TVVS, VSVS atq; CVRA.

Quirinus Hessling Senator Arnstatensis.

A 2490

ULB Halle

3


003 485 986




sb

kom








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

53

LIV  
N V P T I I S  
Ornatiss. virtute & industria Iuuenis  
Dn. AVGVSTINI  
CRVSII, PATRICII  
HALENSIS,  
ET  
*Pudicissima Virginis MARGARETAE.*  
CLARISSIMI ET OPTIMI  
VIRI, Dn. M. CHRISTOPHORI  
CÆSARIS, Scholæ Hal. Sax.  
Rectoris, digniss.  
Filii.  
*Celebratis Non. Feb. ANNO*  
M. DC.  
  
*Ex Officina*  
PAVLI GRÆBERI.

J

Handwritten scribbles at the bottom of the page.

